

- defuncte deveniant dictis filiis ipsorum tam masculis ¹⁾ quam feminis comuniter inter ipsos. ¶ Et si defunctus vel defuncta ab intestato filios vel filias non habuerit ab ipso legitime descendentes, tunc ipsa bona deveniant nepotibus suis tam // 211 B
- 5 masculis quam feminis legitimis, ab ipsis eorum filiis tam masculis quam feminis descendantibus. Et sic de uno in alium ab ipso defuncto vel defuncta descendentes, et hoc etiam intelligatur de civibus Tergesti habitantibus in civitate Tergesti et fatientibus factiones comunis Tergesti, et non forensibus nec alibi habitantibus. ¶ Et si defuncti vel defuncte ab
- 10 intestato cum legitima etate non habueri[n]t filios tam masculos quam feminas vel alios ab ipsis descendentes ut dictum est, tunc bona ipsius defuncti vel defuncte ab intestato deveniant propinquioribus defuncti vel defuncte unde illa bona
- 15 pervenerint, et hoc intelligatur tam de preteritis quam de futuris, salvis tamen condicionibus bonorum per testatorem vel testatricem in eorum testamentis appositis. ¶ Preterea ordinamus quod bona patris vel matris defunctorum ab intestato non possint cohereditare filii vel filie emancipati de potestate
- 20 parentum, ultra illa bona que ante ab eis habuerant, in equali portione cum illis filiis qui emancipati non sunt, nisi solum modo in tantum quantum duo ex propinquis ipsorum fratrum vel sororum ipsis emancipatis dare iusserint; qui duo propinqui dari debeant per dominium Tergesti, si partes non
- 25 essent in concordia. ¶ Insuper declaramus quod quecumque persona civis vel habitatrix Tergesti, que acceperit sive receperit et habuerit aliquam hereditatem alicuius persone, respondere non teneatur creditoribus illius cuius fuerit talis hereditas vel aliis personis, // nisi in tantum quantum recepit de 212 A
- 30 bonis hereditatis de capitali tantum, et non de usufructibus sive proventibus hereditatis bonorum.

¹⁾ masculus.